

2

DE LOCIS
IN
P. CORNELII TACITI VITA AGRICOLAE
LACUNOSIS

DISSERTATIONEM

CLASSI PHILOLOG. AC. MONAC.

DIE IX. MAII ANNI MDCCCXLVII

EXHIBITAM

PRAECEDENTI EPIMETRUM

ADJECIT

FRIDERICUS THIERSCH.



DE

LOCIS IN P. CORNELII TACITI VITA AGRICOLAE LACUNOSIS DISSERTATIONEM.

Cum de locis Aeschyli lacunosis egerimus, haud incommodum visum est, dissertationi, qua de illis tractatur, epimetri loco subjungere alteram de lacunis, quibus oratio Tacitea in Vita Agricolae etiamnum hiat. Interpretes enim fere omnes non tam in illis investigandis atque demonstrandis, quam in eo versati sunt, ut, quae discerpta et inconcinna e reliquorum ruina eminent, aliquo modo consarcinarent aut quadam ratione dici posse contenderent, quae res et miras explicationes protulit, et orationem reliquit multis vitiis contaminatam.

Codices manuscripti Agricolae pauci sunt iique recentes, quippe qui saeculum XV. non superent. Ex uno fonte eorum orationem derivatam esse inde concludi potest, quod in principibus corruptelarum locis easdem lacunas aut eadem lectionum monstra exhibent. Eadem

Germaniae et dialogi de rhetoribus conditio, neque dubium mihi videtur, tres hos minores libros Taciti majoribus postpositos finem constituisse tum reliquorum codicum Taciti integrorum, tum illius, qui saec. x. ductibus Lombardicis exaratus et initio atque fine destitutus in bibliotheca Medicea Florentiae asservatur, quem, si priores Annalium libros excipias, universae Annalium et Historiarum lectionis originem esse jam omnes interpretes profitentur. Statuendum igitur, saeculo XV., cum liber ille misere habitus detegeretur, ultimos ejus quaterniones a reliquo corpore divulsos fuisse, unde factum est, ut seorsim haberentur et librariis inservirent, qui nulla reliquorum cura Agricolam aut Germaniam aut dialogum describerent. De Germania id nunc quidem summa diligentia et antiquae diplomatiae peritia monstravit Job. Ferd. *Massmannus*, qui nuper Germaniam integra manuscriptorum lectione instructam edidit. Eadem prorsus est Agricolae natura et conditio, cujus duo tantum codices Vatic. A. B. accurate cogniti sunt, ductu nitido et ita descripti, ut facile perspicias, librarios in expendendis et reddendis scripturae siglis saepius haesisse aut falsos fuisse. Quo pervenerit priscum illud exemplar, id quidem hucusque investigari non potuit, nec tamen desperandum est, fore ut in aliquo Italicarum bibliothecarum loculo vel latibulo inveniatur. Praeter utriusque codicis Vaticani collationem, quam satis accuratam Dronkiana exhibet editio altera, a Wexio e codicibus dnobus, quos *G. A.* notat, publicatae sunt sparsae lectiones in programme de Taciti Agricola a 1845 edito. Inde Job. Casp. Orellius, vir praeclarus, sperat multo plura et accuratiora a Wexio aliquando subministratum iri, et certam *ῥολοῦ* diplomaticam tunc demum in hac Taciti cura exercitum iri, ubi Wexii editio diu expectata prodierit. Nos quoque quod felix faustumque sit in ea re optamus, sed quae specimina Wexius e codicibus suis protulit, quicumque demum illi sint, documento sunt, hos non melioris esse notae quam libros Vaticanos. Editio princeps Taciti, quae Vendelino Spirensi debetur, Agricolam ignorat, quem primus seorsim, mox cum reliquis

Taciti libris tunc cognitis edidit Puteolanus. Hujus textus cum a Codd. A. B. non raro recedat, interpolatum ab editore judicat cum aliis Orellius, de qua re nullum certum datur judicium. Cum primus Agricola Puteolanus ediderit, libellum non nisi e manuscripto codice ducere potuit. Hunc ab utroque Vat. codice diversum fuisse, magna lectionum in multis locis diversitas docet, dissentiunt etiam saepius quae Wexius e Codd. *Γ. Δ.* attulit. Quis vero codex fuerit, num servatus ille ad nostram memoriam sit, et quo lateat loco, cum omnes ignoremus, judicium nullum institui poterit de iis, quae ex ejus scriptura fluxerint aut Puteolani ingenio debeantur. In universum iudicanti probabilius est, Puteolanum cum fide exhibuisse, quod scriptum aut invenit aut se invenisse credidit, quamquam priscis illis editoribus non magis quam librariis nulla religio esset, non monito lectore corrigere, quae aperto corrupta judicarent. Accedit, quod de codicum adhuc exstantium lectionibus nequaquam dubitationes omnes sublatae sunt. Ita quae ab initio notatur ab Orellio lectio: „*petissem ni cursaturus tam*“ cum Put. B., ea in Puteolani quidem libro est, sed in cod. B. *petiissem incusaturus tam* exstat. In eodem *seriu* (i. e. saevia) *et infelicia*, quod Wexius e C. *Δ.* attulit.

Ac mihi quidem opinio suborta est, codicum primorum et reliquorum parentem Puteolani aevo adhuc superstitem, eique in adornanda Agricolae editione ad manum fuisse. Continent enim ejus editiones lectiones non paucas, quas e compendiis scripturae difficultibus et evanidis pervetnsti libri ductibus majore minoreque cura aut recte aut perverse ab ipso editore extricatas credas. Sed de his nunc quidem agere non est animus, verum ad propositum transeamus.

Cap. 8.

Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum.

Spatium est, quo virtutes sese exercere et excurrere poterant. Sed hoc ne in Tacitea quidem brevitate spatium exemplorum dici potuit. Non enim exempla seu exemplum ducis id praebuerunt, sed Cerialis expeditiones et in viris idoneis eligendis prudentia, quam seqq. monstrant: „Sed primo Cerialis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitus *in experimentum*, aliquando majoribus copiis *ex eventu* praefecit.“ Eodem spectat locus, quo usus est Doederlinius, vir praeclarus mihi que dilectissimus Annal. XIII, 6. „*videbaturque virtutibus locus patefactus*. Huic igitur spatio, quod virtutes habuerunt, accessit exemplum ducis, tanquam altera pars praeclarae illius disciplinae bellicae. Scite, ut solet, Lipsius, magnus Taciti restaurator: „Ego sic lego. *Habuerunt virtutes spatium et exemplum. Sed primo Cerialis modo labores etc.* hac sententia: Cerialis et spatium campumque exercendis virtutibus dedit et exemplum et.“ Nullum tamen particulae *et* vestigium, neque clarum, unde syllabae *orum* originem habuerint. Itaque lacnam quatuor syllabarum statuo et scribendum iudico: *spatium exemplumque superiorum*. Plurali usus est, ut tanquam sententiam universalem adderet: exemplum, quale a superioribus dari potest.

Cap. 10.

... *insulas, quas Orchadas vocant, invenit domuitque. dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave navigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli.*

Ita Puteolanus; Frobenii editio *despecta* et *perinde*. Rhenanus: „Scribo *abdebat*, hoc est: occultabat.“ Idem *despecta* in *dispecta* mutavit aut e Puteolano reduxit. Sequuti sunt Lipsius, Pichena, alii. Cod. Vat. A. *abdebat*, B. *jussum et hiems appetebat*. Idem *jussum et* e cod. A. a Wexio notatur.

Haec corrupta esse statuunt fere omnes, et Orellius crucem inter voces: *quam hactenus* posuit. Defendere ausus est Doederlinius suppleto ad *quam hactenus* voces *invenit domuitque*. Sed quomodo classis Romana non invenisse solum, sed domuisse quoque dici potuerat insulam, quam non nisi et longinquo dispexit i. e. ne clare quidem distinxit? Nec acumen inveniri potest cum Doederlinio in eo, ut quasi dispexisse terram aliquam populo Romano paene idem haberetur ac domuisse, secundum Caesaris illud: *veni, vidi, vici*. Hoc enim supinae jactantiae esset, non Taciteae gravitatis, siquidem contenderet, sufficere fere Romanis ad domandam insulam, si vel e longinquo dispiceretur. Ab his longe diversum est, quod ipse Agricola c. 33 non sine gloria coram exercitu dicit: *inventa Britannia et subacta*. Exercitum enim alloquitur ejusque pugnandi cupiditatem incendere studet, non vero historicum agit; quo accedit, quod Caledoniam ingressus est, ejusque proxima exercitu forti stipatus obtinet. Adde, quod ne constructio quidem procedit, cum neque „*hactenus*, i. e. in eum usque locum, ut dispiceretur invenit“, Latinum sit, et „*eum usque in locum domare*“ sensu careat. Dronkius scite, ut solet, notat: *Equidem puto corruptelam latere in verbis: hactenus nix et vel jussum et, ex quibus quid sit eliciendum nondum perspexi.*“ Lectio codicum duplex: *hactenus jussum et* atque *hactenus nix et* monstrat, in textu prisco fuisse fere ductus: **JUSSUMNIX**, ex quibus alter librarius *jussum*, alter *nix* derivaret, reliquis litteris neglectis. Orellius, qui et ipse locum corruptissimum judicat, Handium, virum litterarum Latinarum scientissimum, commemorat, qui Tursel. III, p. 10 multas multorum interpretationes et conjecturas examinet additque: „*Puteolani autem scripturam nix pro jussum prorsus arbitrariam esse etiamtum nesciebat. Recte Wexius Program. p. 10 eam emendationem ab illo factam monstris adnumerat.*“ Cum vero eadem lectio in codice Vat. B. quoque occurrat, Puteolano saltem non recentiore, haud *dispicias*, quomodo emendationibus Puteolani adnumerari possit? Summa autem iniquitas memoriam viri ceteroquin eruditissimi et perspicacis onerare

emendationes ab ipso factas dicendo easque monstra appellando, quae aperto codicis, quem exprimebat, corruptelae sunt. His autem si in salutem scriptoris uti non possis, culpam saltem in alius vituperium ne convertas. Textus aperte lacunosus, quem suppleverim et emendaverim scribendo: „nam hactenus penetrare visum, neque nix et hiems abdebat.“ Sed mare ct. — *Visum* in *jussum* abiit, neque i. e. nq vocula sequente *nix* oblitterata fuit. *Penetrare* autem de expeditionibus bellicis solemne. Vellej. Paterc. H. II, c. 40: *Secuta deinde Cn. Pompeji militia . . . Penetratae* cum victoria Media, Albania, Iberia et. Annal. IV, 44: (Domitius) exercitu flumen Albim transcendit, longius *penetrata Germania* quam quisquam priorum. Agric. c. 27: *Penetranda* Caledonia inveniendusque tandem Britanniae terminus. Agric. c. 34: silvas saltusque *penetrantibus* fortissimum quodque animal ruere. Classis igitur Thulen i. e. insulam, quam Thulen putabat, non attigit, visum enim eatenus tantum penetrare, qua Thule dispici poterat. Quaeres, quare non ulterius provecta fuerit? Vulgo credebant istas extremas regiones septentrionales gelu et hieme rigidas et inhabitabiles, Hor. Od. I, 22 v. 17 seqq.: „Pone me pigris ubi nulla campis Arbor aestiva recreatur aura, Quod *latus mundi nebulae malusque Jupiter urget*“, quod illustratur Locan. IV. 106. „Mundi pars ima (i. e. *latus mundi*) jacet, quam *zona nivalis Perpetuaeque premunt hiemes*. Hinc credas, vulgi fuisse opinionem, Thulen adiri non posse, utpote nivibus abditam et gelu atque glacie concretam. Negat igitur Tacitus, hanc causam fuisse, quare non ultra oceanus penetraretur, sed aliam, quam deinceps aperit, a natura maris septentrionalis repetitam. Hoc enim tam *pigrum* et navigantibus *grave* perhiberi docet, ut ne ventis quidem proinde i. e. eo, quo par est et exspectes, modo tollatur, eoque *navigantibus* et in defectu ventorum ad remigia coactis adversum. Non igitur hiemis rigore, sed oceani borealis natura impedita fuit classis, quominus ulterius penetraret et Thulen ipsam attingeret. Hoc concisa, ut solet, brevitate dicit Tacitus: „hactenus penetrare visum, neque nix et

hiems abdebat. Sed mare pigrum . . . perhibent et.“ Neque tamen nivis et hiemis, sed oceani natura ad ulteriora nitentibus obstitit. Ceterum apertum est, in cod. archetypo verbi *abdebat* consonantes priores $\bar{b}d$ siglo fuisse indicatas, quod Puteolanus in ppet (appetebat), recte Vat. A in $\bar{b}d$ solvit, prius sine sensu, quamquam nostris quoque diebus defensores nactum sit.

Cap. 15.

„*Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret, aequae discordiam praepositorum, aequae concordiam subjectis exitiosam. alterius manus centurionis, alterius vim et contumelias miscere.*“

Ita Puteolanus et Frobenius. In his B. Rhenanus *centuriones* correxit, quem Lipsius et Pichena sequuti, uterque ulterius progressus. Ac Lipsius quidem, alterum alterum in margine corrigens, haec addit in notis: „Corrigo, alterum manus, centuriones, alterum vim et contumelias miscere. Legatus quidem, inquit, manus militum et centuriones immittit; procurator vim et contumelias infert. Fortasse etiam melius: alternis manus, centuriones, alternis vim et contumelias miscere, ut velit eos *alternis* et vicissitudine quadam saevisse.“ Pichena de majori mendo se suspicari ait, sed tamen in Salinerii sententia acquiescit, qui putat, Tacitum omissis de discordia probationibus, ut per se claris, de propositorum concordia tantum loqui, alterius, scilicet legati, concordiam manus et centuriones procuratori commodare, alterius i. e. procuratoris concordiam vim et contumelias circa praedas et raptus legato permittere.“ Is igitur simile quid cogitavit eorum, quae c. 6 de Salvio Titiano, proconsule Asiae, et Julio Agricola, quaestore ejus, refert Tacitus: priorem, „in omnem aviditatem pronum, quantalibet facilitate redempturum fuisse mutuum dissimulationem mali.“ At vero haec ratio non sincera, sed turbida et menti scriptoris contraria, quippe qui ea subjecerit, quae et con-

cordibus et discordibus propositis fieri soleant. Interim Fulvius Ursinus e codice suo i. e. Vat. A. lectionem: „alterius *servos* vim“ protulerat, non multum diversus a Vat. B., qui „alterius *manum* centurionis, alterius *servos*“, quae vel sola monstrant, recte vidisse Pichenam, cum suspicaretur, gravius mendum loco inesse, quem ulceratum et verborum confusio et lectionum haec diversitas monstret. Quidni enim et procurator manus habeat, quaecumque demum eae sint? et si, quae recentiorum interpretum plurimum est sententia, *manus* explicandi causa additum fuerit, quaeras, quare opus fuerit indicare, centuriones alterius i. e. legati *manus* esse, quod nulla prorsus explicatione atque indicatione egeret? Doederlinii: „alterius *manus*, centuriones alterius, *servos* vim et contumelias miscere“ quae eodem vitio laborant. Tribuuntur procuratori manus nulla addita vocula, qua indicetur, haec metaphoricè de ministris dici, legato centuriones, qui et ipsi ejus manus sunt, *servos* autem dicit se revocasse ex Vatt. addito lacunae signo (quod nullum in textu); suspicatur enim excidisse *utriusque*. De sensu dubitatio nulla, quem et locus Anual. XIV, 31 a Dronkio adhibitus monstrat: „quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domum per *servos* velut capta verteretur“; sed oratio hiulca et lacera, quam restituas scribendo: alterius *mancipia*, *centuriones* alterius *ut in* *servos* vim et contumelias miscere.

Nempe legatus per centuriones, procurator plerumque per libertos et *servos*, quos cum contemptu vocabulo *mancipia* comprehendit, vim et raptus atque contumelias exercebat. *Mancipia* non intellecto compendio, quo scriptum fuit, in *manus* et *manum* abiit; voculae *ut in* ob similitudinem praecedentium syllabarum *terius* extritae sunt. Eadem ruina in cod. B. et Puteolano v. *servos* quoque traxerat. Sensus se ab utrisque pro servis se haberi, et servorum in modum ut a dominis vim et contumelias pati.

Cap. 17.

Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinas, vir magnus, quantum licebat.

Haec lectio est inde a Puteolano in editionibus tradita. Sed dubitationem movet *quidem*, verbis *et quum Cerialis* postpositum. Contendit quidem Dronkius, voculam non frigere, sed majorem vim vocabulo *Cerialis* addere; id vero recte se habet, si simpliciter *et Cerialis quidem* dicitur, appellativo in fronte sententiae posito, non item illato *quum*, quo temporis notio appellativi notioni admiscetur. Accedit, quod *quum* ab utroque cod. Vat. abest, item a cod. *Γ. Δ.* Altera diversitas in vv.: *sustinuit quoque molem*; nam cod. *Δ.*: *sustinuitque molem* exhibet. Hinc orta Orellii mutatio: „et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, *sed* sustinuit molem Julius Frontinus“, qua ratione nemo, puto, veterum locutus est, ut *sed* inferret, ubi nisi expectas. Doederlinius vulgatam retinuit, et *quoque* ad vv. Julius Frontinus referendum esse contendit, „insolentiore, inquam, hyperbato, quam XI, 13, X, 14“, sed ob hanc ipsam causam non admittendo. „Quare suspicor“, ita pergit vir doctissimus, *quoque* ex seq. locorum quoque per *δισσογοραφίαν* natum expulisse quod hic scriptum erat. „*Et cum Cerialis alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quidem molem Julius Frontinus*“, id vero vel hac de causa improbandum, quod tali in situ *quidem* vim minuit, non auget, ut fieri debet. Supplendum enim: *et sustinuit quidem molem, sed non tantum, quantum aut poterat aut expectari debeat aut simile aliquid.*

Locus autem laborat etiam in vv. *alterius* et *obruisset*. Prius poni dicunt ut Graecum *ἑτέρου τινός*, idque pro *cujusque alterius* vel *uniuscujusque alterius* successoris, quicumque ille fuerit.

Hoc vero simplici vocabulo *alterius* absque *cujusque* dici non potest, neque probatur exemplis a Walchio ad h. l. et Freundio in Lex. allatis, ad quae provocat. Solum subsidium lectionis erit, si intelligimus: *alterius* quam Julii Frontini.

Obruisset autem defendi non potest. Non enim factum fuerat, quod factum cogitando poneretur, poni autem non poterat. Scire enim nemo poterat, quinam post Cerialem legati venturi essent, qua gloria, qua prudentia praediti, ut pronunciare eis licuisset, nunquam tale quid factum iri neque id narrationi intulisset Tacitus post verba: Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, *magni duces, egregii exercitus*. Haec enim monstrant, numerum virorum, a quibus magna expectare liceret, Vespasiani aevo insignem fuisse, cum sub ejus principatu vel in una provincia magni duces sese exciperent, Vespasianus autem tanta esset in hominibus dignoscendis peritia atque prudentia, ut dignissimos facile distingueret et in suo quemque loco poneret. Temerarium igitur esset, quod Tacito de Cerialis cura et gloria tribueretur iudicium; quod ne fiat hic quoque orationem mancam statuere debemus.

Itaque scribendum puto: Et Cerialis quidem quum *alterius* *cujusque* successoris curam famamque *obruere visus esset*, sustinuit quoque et. Jam et *quidem* usa legitimo adhibentur, Puteolanus autem *quum*, loco suo motum, ad initium retulisse censendus est; *cujusque* ob similitudinem praecedentium syllabarum *ius* excidit, *obruisset* autem ex syllabis obr vi esset, i. e. e reliquis vocabulorum *obruere visus esset*, superstes mansit. Quoque recte se habet, cum brevitate dictum pro: Frontinus *non solum non obrutus fuit, sed* sustinuit quoque molem et. Non jam refertur, quid factum fuerit (*cum obruisset*), sed res omnis ad iudicium hominum et opiniones transit. Tanta fama provinciam curavit Cerialis, ut

videretur obrnere famam cujusque, qui post eum eandem curam suscepturus esset.

Cap. 20.

... *et praesidiis castellisque circumdatae sunt tanta ratione cura-
que, ut nulla ante Britanniae nova pars illaccessita transierit.*

Ita omnes, nisi quod Puteol. Vat. B. A. *et ut* pro simplici *ut* habent, particula altera ex altera orta. Sensus nullus. Sermo enim de re generali, qua nova pars Britanniae, quae tunc transiit, reliquis, quae antea transierint, opponitur omnibus. Jam si nulla antea Britanniae pars nova illaccessita transiit, quid hoc ad partem, quae tunc sub Agricola transiit? et haec quomodo per *ut* jungi possunt? quomodo cura atque ratione, qua Agricola in castris et praesidiis ponendis usus est, effici potuit, ut ante, i. e. ante ejus curam, nulla nova pars illaccessita transierit i. e. in possessionem Romanorum venerit? Haec igitur portenta sunt, ex re *praesenti* derivare velle quae *ante* facta sunt, et ne verum quidem hoc, quod nostro loco tale monstrum praetendit. Nempe nullae illaccessitae transierant ante novae Britanniae partes, quod in seqq. narrat c. 22: „soliti fuerant Britanni damna aestatis *hibernis* eventibus *pensare*.“ Inde patet, quo vergat oratio et quid velit. Nempe cum ante Agricolam gentes novae fide non firma agerent, sed data per hiemes occasione arma capebant et damna aestiva hibernis successibus compensarent, nunc quidem aliter evenit, scil.: prudenti castellorum dispositione et cura effectum, ut armis aestate positis Britanni hieme *quiescerent* neque *pacem* *laccesserent*.

Jam dudum exstiterunt, qui loco graviter laboranti succurrere niterentur. In his *Boxhornius*, qui *omnino mendosum locum* existimat, legendum proponit: ut nulla *inde* Britannorum pars illaccessita

transierit, *ante in inde, Britanniae nova in Britannorum* conversis. Sensus explicat: „ut *ex eo tempore* nulli rebelliam Britannorum illaesi et sine clade ea loca transire potuerint.“ Hoc mirum sane, atque ipse subnectit vir probus et industrius: „Sed ne sic quidem mihi satisfacio. Ad feliciora ingenia provocandum.“ Nostro aevo successere *Duebnerus* et *Wexius*, sed quorum acumen in hoc conatu desideres. Locum enim ita discerpunt et mutant: *Tanta ratione cura-que, ut nulla ante Britanniae nova pars. Illaccessita transiit sequens hiems, saluberrimis consiliis absumpta.* Eo quid efficitur? primum, ut sententia principalis, quae a verbis: *ut nulla ante Britanniae nova pars* incipit, uervo suo privetur, quo, neque si per se spectetur, neque si praecedentia: *tanta ratione curaque*, respicias, ullo modo carere potest. Haec enim ita disposita et inchoata sunt, ut particula, quae sequitur, cum verbo (ut—transierit) necessarie inde pendat. Deinde post sententiam levem et vi carentem: *ut nulla ante Britanniae nova pars*, initium sequentis periodi, simplex atque apertum, *sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta*, oneratur verbis non sine mutatione praefixis absque usu ullo: *illaccessita transiit.* Nulla enim octo annorum, quos *Agricola* in Britannia egit, hiems laccessita fuit; neque opus fuit, hoc de secunda hieme referre. Monet quidem *Duebnerus* hoc: „Altera hiems (prior nempe) illaccessita non fuerat, cum transvecta jam aestate expeditionem in *Ordovices* incipiendam indicasset.“ Sed haec expeditio in auctumni tempus inciderat et brevi erat perfecta. Et si de ea cogitaretur, laccessita dici non poterat, quae vox de hostibus Romanos laccessentibus, non de his dicitur, qui barbaris bellum inferunt. Haec igitur ratio, quam et *Orellius* sequitur, prorsus erit rejicienda. Veram viam jam ingressus erat *Freinshemius*: „Putem“, inquit, legendum: „ut paulo ante Britanniae nova *pax* illaccessita manserit.“ Haec perversa quidem; neque enim sensum praebent, quem vult *Freinshemius*: „Hoc“, inquit, „egisse praedicat illa tanta ratione curaque, ut conservaret pacem ante vix notam“, neque patet quo istud *paulo ante* pertineat. Recte

tamen vidit, *pacis* notionem requiri ad sensum explendum, et *laccessitam* pacem alibi quoque dixisse auctorem, Ann. IV, 32: „immota quippe aut modice *laccessita* pax.“ XV: 2: „(Romani) pacem ipsis nunquam prospere *laccessitam* nunc quoque in exitium abrumpunt.“ Non vero dubium est, sedem corruptelae inter: *pars—illaccessita* esse, seu potius lacunae, quam haud cunctanter ita expleas: *ut nulla ante Britanniae nova pars pace tam illaccessita* transierit. Voculae: *pace tam*, quibus sensus integer constituitur, haustae sunt vocis *pars* similitudine.

Cap. 24.

Solum (Hiberniae) caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt, in melius. Aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti.

Ita codd. V. A. B. et Δ. et edd. ante Rhenanum, qui in castigationibus p. 470 ait: „Prodigiose corruptus locus est. Lego *differunt. Ejus aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Ejus* scil. insulae Hiberniae.“ Vox *ejus* otiosa et nulli interpretum probata. — Cod. Γ. suppresso *in* legit: *differunt. melius aditus*, quem sequitur Orellius. Acidalius: *differunt nec melius*. Muretus: *differunt in melius*, quod Dronkius recepit. Doederlinius: *differt*; *in melius*. Idem *differunt* Rhenani commentum appellat et *differt* ad extremam vocem, *cultus*, singulari numero verbum relatum dicit, ut Ann. IV, 49: quos vulnera, quos sitis peremerat. Cfr. II, 69. Hist. II, 78: Germ. 27. Hoc scite et concinne. Sed post tot praedicata: *solum caelumque et ingenia cultusque* hominum, durus et asper est singularis, quum ad omnia referatur, nec verum, pluralem numerum Rhenani commentum esse. Jam vero quid facias praepositione *in* ante *melius*? et si statuas, *in melius* idem esse quod *melius*, quaenam res minus erat cognita, ad quam hic comparativus referatur? Nec tamen „*differunt in melius*“ tolerari potuit. Si enim parum discriminis inter

ingenia cultusque, ut par erat apud cognatas et conterminas gentes, inveniebatur, unde conjicere poterat Tacitus, hoc *in melius* esse, i. e. esse inter Hiberniae et Britanniae incolas parum discriminis, idque, quod intersit, in laudem aut commodum Hiberniae populorum esse? Haec nullam prorsus rationem habent, et labem traxit locus ex eo, quod vox, quae tertium, quod dicunt comparationis continebat, excidit et locum lacunosum reddidit. Scr.: *hand multum a Britannia differunt. Interiora fama tantum, melius aditus portusque . . . cogniti.* Apertum, totius formulae nonnisi primam syllabam *in* ruinae esse superstitem. Interiora autem insulae si fama et rumore tantum innotuerant, factum est, quod idem dicitur de Caledonia c. 30, cujus incolas recessus ipse ac sinus, utpote incognita Romanis, defendisse praedicantur.

Cap. 25.

Amplas civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit.

Haec vulgata veterum editionum. Lipsius: *amplâ* civitate trans Bodotriam sitâ. Veram lectionem *amplæxus* uterque Vaticanus prae-buit. Porro Rhenanus *hostili exercitu* in textu ponit, quod repertum in cod. Vat. B., idem in castigationibus: „Opinor scribendum *prius classe exploravit*“, quod superfluum. Ernestius aut post *sibi* aut ante *amplæxus* excidisse aliquid putavit. Sed situs corruptelae est in vocibus *hostilis exercitus*, cui non succurras recipiendo *hostili exercitu*. Neque enim doceri possit, quare *hostilis exercitus* pro vulgato *hostium exercitus* dicatur, quorum non tam *exercitus* quam *copiae* commemorari solent. *Exercitus* plerumque de Romanis. Porro non est, quare *hostilis exercitus itinera* timeantur, nec quare illa *infesta* dicantur, voce superflua, quia *hostium itinera* cum respectu ad Romanos nonnisi *infesta* esse

poterant, nempe Romanis. Haec igitur omnia ἀποσδιόνοια, nec emolliuntur, si cum Doederliuo infesta itinera „invasiones“ intelligas, quae ne possunt quidem itinera dici. Non enim viae, sed insidiae et impetus infesta, ut expertus Germanicus in expeditione contra Cheruscos et magis etiam Quinctilius Varus ante eum. Non meliora Orellius, qui vertit: das drohende Anrücken der Feinde, quod nihil peculiare continet. Nam qui in hostium terras ingreditur, infestas eorum προσόδους timere debet; et quod sua sponte intelligitur et necessario sequitur, non solet commemorari a sobrio scriptore, ut causam reddat, ex qua novum aliquid dux molitus fuerit. Scribeudum: *quia infesta ab hostibus exercitus itinera timebantur.* — Ab *inter infesta* et *hostibus* extritum fuit litteris *ah*, quibus voces conterminae praepositionem includunt. Deleta autem ea, *hostibus*, quod cum compendio scriptum fuit, in hostili solutum est. Jam habes exercitus Romani per loca paludosa et silvestria itinera, quae ab hostibus locorum guaris facile infestari potuerunt, et mox *silvarum et montium profunda* milites jactant a se superata. *Exercitus* si per se spectatur, superfluum quidem; sed voluit de *classe* subjungere, quale nempe consilium Agricola ob hunc ipsum timorem de ea habuerit. Quia infesta ab hostibus *exercitui* itinera timebat, classem in auxilium adsumsit, ut portus exploraret et praetentaret. Hoc enim si fiebat, ut loca circum jacentia perscrutaretur, detegi poterant hostium insidiae, si quae erant. Simul exercitui, qui non multum a mari remota itinera faciebat, auxilio et, si opus, refugio esse poterat. Portibus igitur a classe occupatis et exploratis copiae terrestres tutius agebant.

Cap. 27.

At Britanni, non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil se ex arrogantia remittere, quominus juventutem armarent et.

Locus corruptus atque mancus. Orellius post *Britanni* crucem posuit. Sed sedes ulceris in *v. rati* est, quia non dicitur, quidnam

rati fuerint. Non male Rhenanus: „Opinor legendum: *irati*, „quamquam nulla ratio est, iram Britannorum occasione et arte ducis moveri. Successit Freinsheimii solertia legentis: *non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati*, narratione haud minus manca. Nam quae ad eam intelligendam necessaria essent: *rati non virtutem, sed occasionem et artem ducis esse, quibus superati essent*, haec quidem non possunt e nexu cogitando addi. Hinc *strati* vel *fracti* proponit Acidalius, non reputans, haec si addantur, non ab hostibus amplius sed ab ipso Tacito tanquam suum iudicium pronuntiari, non virtute Romanorum stratos, quam tamen summam fuisse praedicat in praecedentibus, inquit: „*et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium utroque exercitu* (nempe Romano) *certante* et.“ Eodem vitio laborat *superati*, quod Gruterus proposuit. Vero propior Lipsius: „Putem commode expleri: *arte ducis victos rati*.“ Sed alia quoque suspecta. Recte Pichena: „ego *ducis* vocem redundare censeo. Nam recte subintelligitur (intelligitur) *et arte hostium*.“ Accedit, quod in scriptore dictionis concinnitatem tantopere sectante nequaquam praetermittendum, oppositionem non justam esse, quae in priore membro nnum, in posteriore duo praedicata habeat. Itaque vel ex his indiciis nequaquam levibus concludas, gravius orationi subesse ulcus, idque apertius quoque docet locus geminus fere in simili casu Julii Caesaris de bello Gall. VII, c. 29: „Ne se admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo: non virtute *neque acie* (al. *in acie*) vicisse Romanos, sed *artificio quodam* et scientia oppugnationis.“ Hic locus si Tacito, ut mihi quidem admodum probabile videtur, ohversatus fuit, scribendum: non virtute *neque acie*, sed occasione atque *artificio quodam* superatos se *arbitrati*. His si fides non negatur, verba *neque in acie* et *quodam* prorsus exciderunt, *artificio* in *arte ducis* abierat, et e vv. *superatos se arbitrati* nihil nisi syllabae *ra ti* supererant. Reliqua sonorum similitudo abstulerat.

Cap. 28.

(Usipii) tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere, et uno remigrante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum provehebantur, mox ad aquam atque ut illa raptis secum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi et.

Haec usque ad Rhenanum vulgabatur, qui *remigrante* et *provehebantur* reliquit, in seqq. vero *mox hac atque illa rapti et cum plerisque Britannorum* scripsit, sensu utcunque consarcinato. Secutus est Lipsius. — Pro *remigrante* Vat. A. *Δ. remigante*, quod plurimis recentiorum probatum. Defendit tamen Peerlcampius *remigrante*, hoc sensu: unum statim interfecerunt, quia remigrabat ad portum et littus redibat, duos mox interficiebant, quia erant suspecti propter conatus unius gubernatoris redire cupientis, unde mira sane Taciti in re nullius momenti distinguenda sedulitas et latinitatis incuriosa. Nam ad v. *uno remigrante* intelligi non potest *interfecto*, quod addita vocula *eoque* ad praecedentia sola *suspectis duobus* referri potest. Sed *remigare* quoque sensu laborat. Non enim gubernator remigabat, et si credas superstitem unum in una nave id fecisse, coactum nempe utpote nullam habentibus Usipiis remigandi peritiam, quid dein factum in duabus reliquis? Ceterum remigare, i. e. remigia vertere, non tanti est, ut peculiari arte indigeat, et si usum remigum non habebant Usipii, quod de Rheni accolis vix credibile, facile eum necessitate coacti acquirere poterant (*χρεῖω γὰρ ἔχοντες*). Itaque pro *remigante* *regimen agente* scribam. Etenim naves regendi inscitia Usipiorum in sequentibus commemoratur, atque regimen de navibus Tacitus habet Ann. II, 33: „undique procellis mixti fluctus prospectum adimere, *regimen* impedire.“ *Agere* autem de negotiis et occupationibus non inusitatum, ut bellum, proelium, curam alicujus rei agere. Cf. et Cic. de senect. c. VI, § 7: „Similesque sunt, ut si

qui gubernatorem *in navigando nihil agere* dicant et.“ Sed magis etiam ulcerata, quae Rhenanus corrigere nisus est. Nam quod addit, Britannos sua defensasse, i. e. magno studio defendisse, id quidem documento est, haec, i. e. possessiones eorum ab Usipiis fuisse armis petitas, necessitate coactis. Hinc voces, *hac atque illa rapti*, quod ad solos maris errores referendae essent, non sufficiant. Quid interciderit, id quidem ex parte saltem lectio Puteolani prodit, quam in textu posuimus, prolata eadem e codd. Vatt.: mox *ad aquam atque ut illa raptis secum plerisque* (nisi quod B. ad aquam puncto distinguit: *aquam. Atque*; A. autem commate: *aquam, atque*). Nec aliter Γ, Δ. Hinc Sellingius, vir doctus et ingeniosus: „Mox *ad aquam* (scil.: hauriendam) *egressi atque vi alia raptantes cum plerisque . . proelio congressi*“ proposuit audacia non prorsus infelici. Sed priora vv. *ad aquam*, quae Dronkius sine dubio Taciti esse contendit, non satis accurata, quamquam intelligas *hauriendam*. Utuntur enim in tali re verbo solemniori. Hoc restituas *ad aquandum* scribendo, quod compendio scripturae in *aquam* abiit. Caes. bell. civ. I, 76: *Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur aegre, frumenti legionarii non nullum habebant*, Livius l. XXXV, c. 28: *Ex eodem rivo utrimque cum praesidio levis armaturae aquati sunt*, et Sallust. bell. Jugurth. c. 89: *Ex cohortibus auxiliariis miles gregarius castris aquatum egressus*. Addit Doederlinius: An potius illud, quod intrusi *egressi*, ex seq. *congressi* licet mutuari? Audaci sane brachylogia, non tamen incredibili? Incredibili sane, quippe quae temeraria esset. Idem *provehebantur* defendit; scil.: in altum, injuria; non enim, quod portu provehebantur, miraculo erat, sed quod littora provinciae legebant, ignaris incolis, qui essent et quo tenderent, nondum vulgato rumore, quod ipse Tacitus explicandi causa praemittit. Scite autem *praevehebantur*, quae lectio Vat. A. est, i. q. *praetervehebantur*, defendit Dronkius, Horatiano illo Od. IV, 3, 10: *Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt*, et aliis locis utiliter collectis. Major tamen superest difficultas in verbis: *atque ut illa raptis*

secum. Peerlcampius haec: (ad aquam) *vitaeque utilia raptis secum plerisque Britannorum* scribit infelici successu. Non enim quaeritor hic, quae *vitae utilia* essent, sed quae victui vel ad victum necessaria, et *cum* in v. *secum* haud dubie ad sequentia *plerisque Britannorum . . . congressi* pertinet. Talia vestigia qui non legit, sed in arbitraria omnia egreditur, non criticum agit, sed interpolatorem, in primis si tam mira comminiscitur, ut sunt haec: plerosque Britannorum *secum rapuisse*. Non enim captivos ut facerent, sed ut com meatibus potirentur, in terram egrediebantur et Britannos adversos habebant. In vv. *ut illa latere crediderim huc illuc*, et in syllabis RAPTISSE reliquias vocum „*raptibus evagati et*“ superesse, ut totius loci tenor sit: *mox ad aquandum egressi atque huc illuc raptibus evagati et cum plerisque*. Egredi cogebantur ad aquandum, et hac occasione, i. e. semel in terras delati huc illuc ad rapinas faciendas evagabantur, victus penuria coacti.

Cap. 30.

(Ex Calgaci cohortatione ad pugnam.)

1. „*Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana.*“

Non offenderunt in vocibus: *nam et universi servitutis expertes*, quae tamen extra nexum reliquarum positae sunt. Agit enim ante omnia de *necessitate* Caledoniae populorum, i. e. de causis, quibus ad fortiter pugnandum vel inviti compelli debeant, et quae in hanc rem dixit, verbis concludit his: „*ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt*“, eaque deinceps persequitur. Ad hanc autem necessitatem non pertinent, quin ei contraria

sunt, quae praemittuntur, dum se universos servitutis expertes esse commemorat. Itaque plura excidisse crediderim inter verba: nam et . . . universi . . . servitutis, quae suppleat scribendo: *Nam devictis universis nos soli servitutis expertes*, idque e seqq. etiam elucet, in quibus totam sententiam paucis comprehendit, terrarum et libertatis *extremos* cives suos appellando. Haec denique cum reliquis concordant. Se solos adhuc liberos, nullam ultra gentem servitutis expertem, a qua victi auxilium expetere possent, et nullas ultra terras, quae perfugium praeberent, quod antea fuerat in prioribus Britanniae proeliis, quia tunc victi, spem et subsidium in Caledoniae gentium manibus habebant.

2. *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hanc diem defendit. Nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens; nihil nisi fluctus et saxa et.*

In his plura offendunt, primum: *famae defendit*, quod neque cum sinu jungi potest, quod scite explicat Orellius, neque cum *defendit*, ut sit dativus, quae vulgata fere opinio ad Orellium usque propagata, ut sit: *a fama* seu *contra famam* defendit. Romani enim fama rerum reconditarum in Caledonia hucusque retenti fuisse dicuntur, eamque majorem etiam veritate fuisse monstrant, quae mox subjunguntur: „*atque omne ignotum pro magnifico est.*“ Haec enim ad *famam* pertinere et nexus rerum docet et geminus fere, qui praecedit locus de iisdem populis (c. 25), dum dicuntur ad arma conversi, paratu magno, *majore fama uti mos est de ignotis*. Scribendum igitur: *famam* defendit, quia nempe vires et apparatus nostros fama auxerat etiam et in majus extulerat.

Deinde hoc ipsum offendit, quod verba: *atque omne ignotum pro magnifico est* ab iis, quae explicare debent (*fama defendit*),

interposita sententia aliena separantur. Hinc autem incommodo transpositione occurret. Denique *sed*, quod sequitur in verbis: *sed nulla jam ultra gens*, nihil habet in praecedentibus, cui opponatur, eoque sensu cassum est. Lacuna manifesta. Pro *sed nulla jam ultra gens* scrib.: *Sedes nullae, nulla jam ultra gens*, ita ut *ultra* ad utrumque pertineat. Totus igitur locus ita se habebit: *Nos terrarum ac libertatis ultimos recessus ipse et sinus fama in hanc diem defendit atque omne ignotum pro magnifico est. Nunc terminus Britanniae patet. Sedes nullae, nulla jam ultra gens ct.*

Cap. 33.

(Ex Agricolae cohortatione ad exercitum Romanum.)

1. *Nam ut superesse tantum itineris silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem: item fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt.*

Haec vulgata lectio ante Rhenauum, qui *superasse* edidit pro *superesse* et ad *item* notavit: „Lego *ita* fugientibus, ut stet comparatio.“ Nondum vero stat. Nam *periculosissima* non potest opponi vocibus *pulchrum ac decorum*, sed *turpe* aut *inhonestum* aut simile aliquid, neque is est Tacitus, qui oppositionis concinnitatem negligat aut in eis jungat praedicata, quae justam ἀντιθέσεως rationem pessumdent. Accedit, quod postremae voces *quae hodie prosperrima sunt* extra comparisonem omnemque orationis nexum ὡς ἐν παρόργῳ subjiciuntur et necessario alterum novae comparisonis membrum constituunt, cujus prius in v. *periculosissima* continetur. Hoc si verum, *periculosissima*, quod ut monuimus sensu a priore comparatione aberrat, ex nexus ratione solvi et cum posteriore comparatione jungi debet. Ad utramque enim pertinere non potest. Itaque alterum prioris comparationis membrum excidit et scribendum pro *item fugientibus periculosissima* seqq. sic: *ita fugientibus turpissima, ac peri-*

culosissima, quae hodie prosperrima sunt. — Turpissima dixit, non turpissimum, quia vocabulum utrique illi pulchrum ac decorum opponit, simul plurali transitum ad seq. periculosissima praeparat, quae vox praecedenti turpissima ob terminationis similitudinem, perniciose fuit. — Hodie dictum, ut emolliatur omissum in praecedentibus futurum. Nam plena oratione dixisset, ac periculosissima erunt, nempe victis, quae hucusque prosperrima victoribus fuerunt.

Cap. 34.

2. . . . sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium, quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt novissime id et extremo metu corpora: defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.

Ita usque ad Rhenanum vulgabatur, verbis *novissime id et extremo metu* corruptis. Rhenanus in castigationibus: „Tu repone *novissime, id est extremo metu*. Idem ad v. „*defixere aciem*“: „non dixit: constituere sive direxere, sed defixere, quod stupidis prae metu convenit.“ In textu posuit: *sed deprehensi sunt novissimi, et extremo metu corpora defixere in his vestigiis*“, quae ratio nimium andax est et temeraria, quippe in qua *aciem* omissum, et *novissimi* superfluum est, si praecedentibus additur. Non enim de eo agitur, quod novissimi, sed quod omnino deprehensi sunt, utpote qui non restiterint, sed corpora metu defixa praebeant. Cod. Vat. A. et G. *novissime res*, et Vat. B et Δ. *novissimae res* et in margine codicis: „quod tam diu non invenistis, restiterunt, sic legendum puto“, conjectura inutili et sensu casso. Sensus: quod tandem eos invenistis, id factum est, quoniam metu fuga praepediuntur et immotis corporibus eodem loco haerent.

Sed structura haeret. Nam *novissimae res et extremo metu* cum duo praedicata sint eandem rem diversis modis indicantia, nempe desperationem et stupidam mortis expectationem, diverso casu dici

non possunt. Itaque scribam: *novissimae res et extremus metus . . defixere corpora*, ita ut *novissimae res*, quod per se sensu ambiguo est, et ad tempus solum referri potuit, adjecto *extremus metus* ad majus et significantius aliquid, nempe ad extremam necessitatem, i. e. desperationem omnium rerum pertinere appareat. Simili sensu conjuncta vocabula, quamquam mutato situ et ad unum substantivum relata, Germ. 24: „aleam inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, *extremo ac novissimo jactu* de libertate et de corpore contendant.“

Sequentia autem non procedunt, nisi *aciemque* scribas pro *aciem*. Quis enim sibi persuadeat, a Tacito dictum: corpora *aciem* defixisse? Crediderunt tamen interpretes usque ad Orellium fere omnes, non excepto quod mireris Doederlinio, viro ingenii sagacissimi, qui ad priscam lectionem fere rediit scribendo: „Novissime id est extremo metu corpora defixere *aciem*.“ Non tamen *novissime* addito: *id est extremo metu*, explicari potest, quia in simplici adverbio *novissime* nihil de metu, et ut oratio procedere posset, saltem *novissimo*: id est *extremo metu*, dici debuisset, quod et ipsum incongruum, quia *novissimo* et *extremo* nihil diversitatis continent. Vult quidem vir doctissimus, inesse sarcasticam quandam epexegesin adverbii per se innocui, et Germanice vertit: „zum letzten Male, nämlich in der Todesangst“, quae nec ipsa sarcasmum spirant. Quod ex dialogo affert: „*In nemora et lucos id est in solitudinem recedendum est*“, simplicem explicationem habet seu causam, quare in nemora ipsi recedendum, ut nempe solus sit. Ceterum ad nostram rationem inclinatur, dum addit: „quamquam si quis *id* prorsus delere, atque *et* retinere voluerit, non refragabor.“ Tam ad dictionem „*corpora defixere aciem*“ aut defendendam aut excusandam accedit, nullo, ut equidem puto, successu. Corpora dici pro personis non quidem cum contemptu, sed in personis vilibus, ut sunt meretrices, servi, gladiatores, alii, res nota et jam apud Graecos

obvia, ut in inscriptionibus Delphicis apud Boeckhium n. 1709 b: ἀπέδοτο Χρύσιππος . . . (τῷ Ἀπόλλωνι) σῶμα ἀνδρείον οἰκογενές, qui in 1705 a: ἀπέδοτο . . . τῷ Πυθίῳ σῶμα γυναικεῖον οἰκογενές, φῶνομα Σώτηρις, et multa alia hujus generis. Sin vero hujusmodi personae aliquid fecisse perhibentur, nunquam id ad corpora translatum videas, ut dicantur corpora ivisse, pugnasse. Haec nimirum absona et incondita, neque dictionem „corpora defixere aciem“ interpretando emollias, quod facere aggressus est Doederlinius, praegnantia brevitate dictum putans pro: defixu suo effecere aciem vel aciei speciem praebuere. Quando enim corpora, quaecunque illa sint, etiamsi actionem iis tribuas, aciem defixu efficere possunt? Sensisse incommodum videtur hujus explicationis auctor, dum alteram prorsus diversam addit: *vel aciei speciem praebuere*, idque ipsum baud admittendum. Non enim species aciei, sed vera acies erat bene disposita „*in speciem simul ac terrorem*“, ut in seqq. Tacitus addit. Contra concinne haec ad metum et desperationem referunt. Haec defixere corpora aciemque, i. e. corpora in aciem disposita, ut ad caedendum praeparata et destinata videantur. Hinc addit: „*in his vestigiis* (quae nempe conspicitis), in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.“

Cap. 36.

Interim equitum turmae fugere: covinariū peditum se praelio miscuere: et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant: minimeque equestres. Ea enim pugnae facies erat: cum aegra diu aut stante: simul equorum corporibus impellerentur.

Ita edd. ante Rhevanum. Lacunosam esse orationem et ipsam pugnae narrationem jam ab initio manifestum, ubi equitum turmae dicuntur fugisse, priusquam aliquid de eorum pugna dictum fuit. Hoc

Monet Doederlinius *turmas* equitum de Romanorum equitatu dici usu legitimo. Ac is quidem usus quamquam non excludat, barbarorum quoque equitatum hoc nomine dici (Britannorum *turmas* ex Ann. XIV, c. 34 Orellius affert), necesse tamen, id nostro loco ad Romanos pertinere, quia in sequentibus, dum equitum Romanorum mentionem facit, eorum tantum alas quatuor commemorat, quas ad subita belli retinuerat Agricola; unde manifestum est, de aliquo equitatu in praecedentibus pugnae vicibus aliquam saltem mentionem fuisse factam. Idem vir doctissimus observat, *hostium agmina* in seqq. non nisi de Britannorum copiis intelligi posse, quia contra morem Romanorum sit, etiamsi aliquid referant, quod adversariis Romanorum acciderit, Romanos ipsos mutata veluti persona hostium nomine indicare. Itaque correxit: Interim equitum turmae *immissae*, ut fugere covinarii, peditum se proelio immiscuere, in quibus v. *immissae* verissimum et revera Taciteum iudico. Ipsam tamen sententiam, quae jam prodit, veram non crediderim, quia covinarios fugam cum equitum immissione ita jam conjungi videas, ac si nihil inter utramque intercessisset, quod nullo modo probabile, siquidem viri et principes et fortissimi huic copiarum parti inerant ac principum Britannorum robur. Imaginem eorum pugnae admodum vividam exhibet Caesar bell. Gall. IV, 33, ex priore in Britanniam expeditione repetitam. „Genus hoc est ex essedis pugnae. Primo per omnes partes per-equitant et tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum *ordines plerumque perturbant* et, quum se inter equitum *turmas* iusinuaverint, *ex essedis desiliunt* et pedibus proeliantur. *Aurigae* interim paulatim ex proelio excedunt atque ita currus collocant, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita *mobilitatem equitum, stabilitatem peditum* in proeliis praestant.“ Mausisse autem essedarios seu covinarios in pugna contra Agricolam si non omnes, partem tamen, impetu *turmarum* non perterritam, ex ulteriore ejus descriptione videas, dum equorum corporibus impulsus ac vagi saepe currus, exterriti sine rectoribus

equi transversos aut obvios incursasse perhibentur. Hinc plura excidisse conjicias, quae aliquo modo reficias scribendo: Interim equitum turmae immissae, fugere covinari aut peditum se proelio immiscere, et quamquam recentem terrorem intulerant, deusis tamen *obsistentium* agminibus et inaequalibus locis haerebant. — *Obsistentium pro hostium* dedimus, cum respectu ad eos, qui recenti terrore confusi fuerant.

De sequentibus: *minimeque equestres* et. Rhenanus haec notat: „Corruptus locus est. Ego sic legerim et distinxerim: *minimeque equestris ea pugnae facies erat, quum in gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur.*“ Coucinne correctam: *minimeque equestris ea pugnae facies*; sed obstant libri, quorum lectio parentheticam sententiam eamque integram praebet: *ea enim pugnae facies erat, et apertum est, enim in antiquo codice lectum fuisse.* Excidit igitur sententia, cujus initium in vv. *minimeque equestres servatum.* Equidem excidisse crediderim „*spectaculum*“, cujus prima tantum littera servata in v. *equestres*, et legendum: *minimeque equestre spectaculum*, quae per parenthesin interrupta continuantur in sequentibus. Ita mox proelio finito c. 37: tum vero patentibus locis grande et atrox *spectaculum.* — Continuatur descriptio verbis corruptis: *cum aegra diu*, quorum medela male cessit Rhenano. Est enim ejus ratio admodum violenta, dum vocibus: *cum aegra diu aut stante*, prorsus arbitrarias: *cum in gradu stantes*, substituit. Sane *in gradu stare* de iis, qui cominus et gradu obfirmato pugnant, dicitur, ut Ovid. Metam. IX, 42 seqq. „*Digredimur paulum rursusque ad bella coimus, Inque gradu stetimus certi non cedere, eratque Tum pede pes junctus.*“ Tale quid autem num in hoc pugnae tumultu fieri poterit, ut *in gradu starent*, deque eo non recederent, jure dubito. Accedit, quod *simul* non habet, cui tanquam novi aliquid indicatum sit subjungatur. Probat tamen Doederlinius Rhenani conamina, quamquam non omni ex parte, et locum conclamatum appellans, qui sine libris emendari

vix possit. Contra I. Rothius, bonus dictionis Taciteae indagator: „cum *auriga* tunc adstante“, in quibus *aurigae* nomen ex v. *aegra* felici manu protractum iudico, siquidem covinariorum conamina referuntur eoque *aurigarum* mentio comoda et necessaria. Sunt enim propugnatoribus nobiliores, ut docemur c. 12: *honestior auriga*, *clientes propugnant*.

Sed reliquorum quae corrupta et lacunosa sunt: *diu aut stante*, *lubrica medicina* et non minor conjectantium turba et confusio est, quam pugnantium in illo proelio fuisse perbibetur, quas nunc quidem in medio reliquamus. Nos syllabas **AEGRADIAUTSTANTE** ex *aur . . . a . . . ad . . . sultanti . . .* corruptas, et has reliquias esse putamus verborum: „*aurigae impetu adsultantium* simul equorum corporibus impellerentur.“ Nam in pedites cum essent illati eosque in se convertissent turbatis simul equis, tumultus is potius erat et *aurigarum curruum*, equorum et peditum fixa aut confusa moles, quam equestre spectaculum. Equestris enim pugna, qualem covinarii solebant exhibere, agilis est et brevis ac variato impetu huc illuc vagatur. Germ. c. 30. „Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Factum igitur, quod apud Sallust. bell. Jug. c. 59 memoratur. „Neque diutius Numidae resistere quivissent, *ni pedites cum equitibus permixti* magnam cladem.. facerent; quibus illi freti, non, *uti equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem.*

Cap. 37.

Postquam sylvis appropinquarunt, collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumveniebant. Quodni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo: et sicubi artiora erant: partem equitum dimissis equis: simul

rariores silvas equitem persultari jussisset: acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret.

Haec prisca lectio et Puteolani interpunctio: sed in prima editione *equitem* est; B. et A. *equites perlustrari*. Recte Rhenanus *persultare* ex ingenio, quod Vat. A. firmavit. Sed sententiae non recte procedunt. In silvis circumveniebant Britanni eos, qui incautus secuti erant. Has igitur Romani, insidiis et hostium turbis plenas, et perscrutari et tutas praestare debebant, priusquam agmina immitterentur. Fit hoc *indaginis* modo, ut si in venatu praetentant, quae ferae in saltibus inveniuntur, partim a cohortibus, partim ab equitibus. Cohortes, quae adhibeantur, appellat validas et expeditas. Erant igitur numero et vigore conspicuae, et etiam armorum partem minus necessariam deponere jussae, ne in fruticibus et dumetis eis praepedirentur, quod v. *expeditas* indicatur. Addebatur pars equitum et hi quidem dimissis equis. Hoc dicitur factum, sicubi *artiora erant*, i. e. si silvae arboribus densae, quibus dein *rariores* opponuntur. Inde sequeretur, equites tunc demum adhibitos, si densae et impeditae silvae obstarent, quod nulla ratione factum esset. Peditum et equitum catervae perinde adhibitae fuerunt, et *artiora illa* non nisi eo possunt spectare, ut tunc dicantur equites dimissis equis, i. e. relictis ante silvas et in aliorum manus traditis, ingressi; contra cum ipsis equis, siquidem arborum raritas hoc permetteret. Accedit dictionis quaedam scabrities: quodni . . . *partem equitum . . . simul equite* persultari jussisset. His malis non nisi transpositione adhibita, addito verbo et alterius terminatione mutata succurri posse credo, siquidem scribas: ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes et *partem equitum, sicubi artiora erant, dimissis equis, indaginis modo praetentare, simul rariores silvas equitando persultare jussisset.* Scio quidem, talia plerumque per zeugma explicari, cujus auxilio ex v. *persultare* istud *perscrutari* aut simile

quid intelligatur; sed hujus figurae durae admodum et inconditae exempla ultra necessitatem augere mihi quidem religio est.

Cap. 38.

Et simul classis secunda tempestate et fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae lecto omni redierat.

In libris nihil diversi, nisi quod in orthographia portus Trutulensis variant, et Puteolani editio altera *latere* ante *Britanniae* ponit. Portus ipse incognitus; clarum tamen, cum classis ab orientali littore solveret, ut septentrionalem insulae partem circumnavigaret, eum in latere opposito i. e. occidentem versus fuisse situm. Nam universionam insulam illa navigatione non fuisse comprehensam, sed septentrionalem tantum ejus partem seu Caledoniam et res atque consilium Agricolae docent, et quod additur, classem e Trutulensi portu *redisse* nimirum in stationem pristinam. Sed laborat sensus. Quid enim illud plusquamperfectum *redierat*? Quando id factum erat, et quomodo factum dici poterat, cum nihil de eo reditu dictum fuerit, ad quod istud *redierat* referri possit? Haec igitur sine nexu absque sensu dicuntur, quidquid nuperrimi editores et in his Orellius tentaverint ad sensum loco inferendum. Quodsi enim — quae viri hujus praeclari sententia est — Trutuleusem portum in littore orientali juxta Taum, i. e. a castris hibernis legionum non multum remotum ponis, nulla causa erat, quare reditus ex eo, quisquis ille fuerit, velut memorabile aliquid narraretur, neque rationem habet, quod in eo *proximum* Britanniae latus *omne* legisse dicatur. Quid enim *proximo*? cuienam *proximum*, quod legerat, fuit latus? Num stationi? cui vero? Trutulensi an portui ex quo solveret cum versus septentrionem tenderet? hoc ipsum autem quare additur? Quodcunque vero illud *proximum* latus fuerit, quare *omne* dicitur, quidnam memorabile aut insolitum, si *omne proximum* latus legerat in reditu,

cum aliter ne redire quidem posset? Haec igitur ita comparata sunt, ut non nisi sopina negligentia praetervideri aut intacta transmitti possint. Accedit et hoc, quod de ipsa navigatione septentrionali insigni illa atque periculosa, quippe quae per mare incognitum fieret, ut terrae et gentes hucusque inauditae cognoscerentur, nihil refert nisi eam secunda tempestate et fama factam, contra reditui illi peculiare aliquid et insigne tribuitur, dum addit proximo Britanniae latere lecto omni absolutum eum fuisse. Haec et ipsa *ἄνω κάτω* fieri manifestum. Itaque et lacunosum et transpositione vocabulorum depravatum locum existimo eumque restituo scribendo: *Et simul classis secunda tempestate et fama septentrionali latere Britanniae lecto omni Trutulensem portum tenuit, unde proximo vere redire jussum erat.*

Jam ratio totius loci patet. Missa erat post victoriam de Britannis reportatam classis Romana, ut incognitam ante insulae partem circumveheret, cumque aestas jam exacta esset finita hac expeditione in Trutulensi portu hiemaret et proximo vere inde in stationem pristinam ad Taum rediret. Hocque consilium quantum ad expeditionem pertinebat, eventum habuit plenum et felicem. Lecto enim septentrionali Britanniae latere omni Trutulensem portum tenuit. Quod vero in seqq. usus fuit plusquamperfecto *redierat* seu potius redire *jussum erat*, hoc quoque non sine ratione factum est. Narrat enim Tacitus quae praeceperat Agricola de reditu, in eoque narrationem de ejus expeditionibus et consiliis terminat. Statuendum igitur, proximo vere, quo redire classis debebat, Agricolam insula jam excessisse. Hoc enim modo accnratus auctor referre poterat quid jussisset. Num proximo vere re vera redierit nec ne, id quidem ad ejus consilium non pertinet, cui sufficiebat, si adderetur, quid de reditu jussisset Agricola, cum classem a se in septentrionalem oceanum dimitteret. Ceterum facilis, ut mihi quidem videtur, est medicina, quam loco prorsus incongruo adhibuimus, sive vocabulorum transpositionem, sive

voces *septentrionali* et *vere* ad sensum supplendum additas, seu denique formae *redierat in redire jussum erat* amplificationem spectes.

Cap. 39.

Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet, et cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse.

Post *decus* distinguit Doederlinius, ut ad *frustra* intelligatur *esse*, et *in silentium acta*, seorsim ponantur, utpote quae jam causam praecedentium contineant. Nexus vero unam et integram requirit sententiam *frustra studia fori in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet*, i. e. se frustra laborasse, ut forum sileret et ne periculum inde principatui oriretur, si quidem majus ex eo periculum immineret, quod militaris gloria a principe ad alium privatum transiret. Haec igitur plana et expedita; sed difficultas in sequentibus, quibus priora ulterius persequitur et novi aliquid addit. Difficultas autem non tam in verbis, quam in oppositionis ratione ac sensu. *Cetera*, cum respectu ad *boni ducis virtutem*, sunt reliquae praeter hanc ipsam virtutes omnes, quas in praecedentibus indicat et c. 4. studio eloquentiae sapientiaeque comprehendit. Haec si dissimulari dicuntur, spectat hoc, ut scite monuit Doederlinius, ad studium Domitiani, qui se oratorem ferebat, poetam quoque ac juris atque philosophiae peritum, nec tamen erat, quamquam impudentissime a Quintiliano ob has artes laudatus. Harum igitur artium defectum, i. e. *cetera*, dum reliqui silebant, assentatores autem loquebantur, a se dissimulari posse, non prorsus quidem sed *utcunque*, et *facilius*. Sed hic ipse comparativus rationem non habet. Sequitur enim *ducis boni imperatoriam virtutem esse*, quae verba nihil habent, quod ad *facilius* et ad principalem sententiam spectet. — Intelligunt sane: „non posse op-

primi vel tam facile celari“, aut simile quidquam; sed uti nunc verba sese habent, sententia absoluta est, et talia additamenta non patitur. Ac ipsa quidem nihil praedicat, nisi ducis boni imperatoriam virtutem esse, de quo nemo unquam dubitavit. Haec igitur signa sunt manifesta, aliquid excidisse, quod suppleas scribendo: „ducis boni imperatoriam virtutem *in aperto* esse“, neque tam facile dissimulari posse ejus defectum quam ceterarum, quippe quae factis testari et proprio lumine splendere debeat. *In aperto* positum est, ut c. 1: agere memoratu digna pronum magisque *in aperto* erat.

Haec jam de Aeschyli et Taciti locis lacunosus aut transpositione vocabulorum sanandis sufficiant. Voluimus autem simul eis specimen exhibere commentariorum, quos de his scriptoribus composuimus. Quodsi uberius pleraque, Aeschylea imprimis, tractata videantur nonnullis, hi velim reputent, non viris tantum perfectae doctrinae, sed simul juvenibus ea scripta esse, qui me duce in philologiae studiis tractandis exercentur, eoque non pauca admittere, quin requirere etiam, quae ceteroquin aut omitti aut brevius notari poterant.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Abhandlungen der Bayerischen Akademie der Wissenschaften - Philosophisch-philologische Classe = I. Classe](#)

Jahr/Year: 1847-1849

Band/Volume: [5-1847](#)

Autor(en)/Author(s): Thiersch Friedrich Wilhelm

Artikel/Article: [De locis in P. Cornelii Taciti vita agricolae lacunosis. Dissertationem Classi Philolog. AC. Monac. die IX. Maii anni MDCCCXLVII; exhibitam Praecedenti Epimetrum 71-104](#)